UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CAtalogus sancto//rum [et] gestor[um] eor[um]

Petrus <de Natalibus>

Lugduni, 1508

De sanctis Tharaco presbytero et Andronico martyribus. Cap[itulum]. li.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70797

Visual Library

cccl v. trino martyrio ternis in locis coronati: vna et eadē die ab eccleſia recoluntur: cū tamē diuerſis diebus paſſi fuerint: vt ſcribit hellinādus. Nam cū de mādato imperatoris maximiani milites eius gentiles prefatos xpianos inſequentes: hincinde eos requirerent: caſſium et florentium cum alijs ſeptē apud beronā vrbē circa rhenum fluuiū inuenerunt: quos ibidem in xpi confeſſione decollauerunt. quorū paſſio agitur. vi. idus octobris.

De ſanctis Berone et ſocijs martyribus. Cap. xlvij.

Berō martyr cum ſocijs cccxviij. apd coloniā agrippinā paſſi ſunt. Cum em̄ perſecutores ab imperatore maximiāo deſtinati ad predictos milites. ccclx. occidēdos. Caſſium et florentium cum alijs ſeptem interfeciſſent: vt ſupra dictū eſt. Beronem militē cum comitiua. cccxviij. miſſum in campis colonie inuenerūt. Quos oēs xpm dominū confitentes gladijs trucidarunt. Quorū feſtū colitur. vi. idus octobris.

De ſanctis Maloſo et Victore et ſocijs martyribus. Cap. xlviij.

Maloſus et victor martyres cum ſocijs triginta apud opidum francoruz: quod troia ſiue xanthum dicitur paſſi ſunt. Cum perſecutores prefati poſt interfectionem predictorum martyrum: videlicet caſſij et florentij et ſociorum geronis atq; aliorum predictorū proceſſiſſent ad reliquos requirendos de mandato imperatoris maximiani maloſum et victorez cum alijs triginta: qui de numero predictorum ccclx. militum ſupererant: iuxta dictum oppidum xanthum inuentos: gladijs cederunt: et eorum corpora in locis paluſtribus ſubmerſerunt: quorū tamē reliquie a chriſtianis reperte condigno honore ſepulte ſunt. Et in eorum poſtmodum honorem Helena conſtantini mater baſilicam ſuper eorum corpora miro decore et ſine vllo ligno conſtruxit: vbi et per eorum merita eurogyalus colonienſis epiſcopus dolore capitis ſanatus eſt. Sed cum corpus maloſi martyris longo tempore vbinam ſepultum fuerit latuiſſet. Sancto epiſcopo dicti loci diuina reuelatione mōſtratū eſt. Qui corpus de loco ſuſtulit: immenſi odoris refragrās ſuauitate; et ipſum iuxta ſociorum cadauera collocauit. Horum etiam dies paſſionis ſimiliter celebratur. vi. idus octobris.

De ſancto Pinyto epiſcopo. Cap. xlix.

Pinytus epiſcopus gnoſſe vrbis creteſi. marci antonij imperatoris temporibus apud ipam claruit ciuitatem. Qui inter viros apoſtolicos nobiliſſimus in ſcripturis ſuis velut in quodā ſpeculo viuentem ſui dereliquit imaginem. Quiq; inter cetera ſapiente ſue opuſcula ad dionyſiū corinthiorū epiſcopū elegantē ſcripſit epiſtolā: in qua docet non ſemper lacte nutriendos populos: ne quaſi paruuli ab vltimo occupentur die: ſed et ſolido debere paſci cibo: vt in ſpiritualē proficiant ſenectutē. Qui et in xpo plenus ſanctitate quieuit. vi. idus octo. Hec hieronymus libro de viris illuſtribus.

De ſancto Pierio presbytero. Cap. l.

Pierius alexandrine eccleſie presbyter inſignis floruit tempore diocletiani imperatoris. Qui tam florentis ſermonis venuſtate populos docuit tātaq; diuerſorū tractatuum elegātia fulſit: vt origenes iunior vocaretur. Tractatū longiſſimū ſuper oſee ꝓphetiaz deſcripſit. Et apud alexandriā in pace quieuit vi. idus octobris. Hec hieronymus vbi ſupra.

De ſanctis Tharaco presbytero et Andronico martyribus. Cap. li.

Tharacus probus et andronicus martyres apud tarſuz metropolim cilicie tēporibus diocletiani et maximiani paſſi ſunt ſub preſide maximo. Quorū primus natione romanus: et miles annorū. lxv. militie terreſtri pro xpo renūciauit. Secundus de ſede pāphilie exortus. Tertius xpo iunior de primis epheſiorū ciuitatis. Qui inſimul ſociati: accuſati ſunt maximo preſidi a domero centurione: ꝙ eſſent xpiani: et ab eodē iudice tenti ſunt. Qui primo quidē tharacum vt ſeniorē in xpi profeſſione inuictum manentem in maxillis ceſum nudatū virgis flagellari fecit. Deinde vinculis ferreis in carcerem alligari: poſtea probum in ſimili confeſſione manētem in dorſo et ventre neruis crudis diutius ceſum; eiſdem vinculis vinctum carceri man-

cipauit. Ac poſtmodum andronicum chriſti no-
minis confeſſione gaudentem: vt adoleſcentu-
lum diu ſuaſum: in equuleo appēſum ⁊ ceſum:
ac ore contuſum ⁊ lateribus punctum: necnon
plagis cum teſtarum fragminibus cōfricatū:
ferreis cathenis ligatum in ergaſtulo clauſit.
¶ Deinde eos in ſuſia ciuitate productos: idē
preſes ſibi preſentari fecit. Et primo tharacū
ſacrificare nolentem ore ipſius lapidibus con-
fracto ⁊ dentibus excuſſis: manus eius in ignē
mitti iuſſit: dehinc ligari pedibus: capiteq̄ de-
orſum ſuſpendi ⁊ fumum atrū ſubterponi: at-
q̄ acetum cum ſale eiuſdem auribus inſtillari:
nares quoq̄ ſinapi aceto liquefacto perfundi:
⁊ ſic in cuſtodiam tradi. Sequenti die probum
eductum iuſſit: os eius confringi: ⁊ ferrū igni
tum labijs apponi: atq̄ extenſum neruis cru-
dis diutiſſime cedi: facieq̄ tota lapidibus con-
tuſa in cuſtodiam recipi. Tertio ẜo die andro-
nicum productum in palis. iiij. extenſum alli-
gari: et neruis duriſſimis in ſcapulis et ventre
flagellari: eo q̄ plagas ei⁹ priores curatas fu-
iſſe mirabatur. Sicq̄ illum in eadem cuſto-
dia recludi fecit. ¶ Demum eoſdem ad acha-
bor ciuitatem attraxit: vbi primum prefatus
preſes tharacum vinctum in faciem cedi iuſſit:
⁊ obliſcos accēſos labijs ⁊ maxillis applicari:
aures quoq̄ nouacula p̄cidi: ⁊ raſo capite pru-
nas ſuperponi. Deinde obeliſcos incēſos ſub
aſellis immitti: ⁊ ſic in carcerē vinculari. Pro-
bum ẜo vinctum pedibus ſurſum appendi mā-
dauit: et candentes obeliſcos lateribus ap-
poni: atq̄ clauos ignitos manibus ei⁹ infigi:
deinde oculos eius acub⁹ pungi: ⁊ ſic in carce-
rem compenditum mitti. Andronicum autem
ligatum papyris inflammatis circa ventrem
exuri precepit: ⁊ obeliſcos incenſos circa digi
tos eius apponi: ferrum quoq̄ ignitum in os
eius mitti: ⁊ dentes eius excuti: moliſq̄ con-
fractis linguam ipſius abſcidi ⁊ comburi: ⁊ ſic
in carcerem alligari. ¶ Poſt dies autē aliquot
eos preſes impius produci fecit: et reſpiciens
illos ſanos iratus vehementer: beſtijs feroci-
ſimis in arenam expoſuit. Que pluribus gen-
tilibus extinctis ſanctorum pedes lingebant.
Leena quidem tharacum: leopardus probū:
vrſus autem obſequebatur andronicum. No-
uiſſime cum omnia ſuperaſſent. Juſſu preſidis
decollati ſunt: adhibiti quoq̄ ſunt quattuor cu
ſtodes: ne corpora ſanctorum ſepelirentur: ſed
in ignem miſſa conſumerentur. Orta autem va
lida tempeſtate ⁊ fulminibus cuſtodes territi
fugerunt: ⁊ flamme extincte ſunt: ⁊ ſic corpora
incombuſta remanſerunt. Super quorum ſin-
gula chriſtiani nocte viderūt ſtellam fulgentē:
eaq̄ tollentes honorifice apud tarſum cilicie
ſepelierunt. v. idus octobris.

¶ De ſancto Euſtachio ab-
bate. Cap. liij.

EUſtachi-
us abbas luxo-
uieñ. fuit: qui
a beato colum-
bano ab italia
ad dictum monaſterium gu-
bernandū paterno affectu di-
rect⁹: equo iure ſubditas mo-
nachorū cateruas rexit: adeo
vt nullus ſe beatum columba-
num prediſiſſe gemeret. Qui huius doctrinis
imbutus fuiſſet. Qui ⁊ poſt laudabilem vitam
virtutibus pollens: quieuit in chriſto. v. idus
octobris: luxouij ſepultus.

¶ De ſancto Euſtachio epō. Cap. liij.

EUſtachius epiſco-
pus antiochenus claruit apud
ipſam ciuitatem tempore con-
ſtantij imperatoris. Hic genere
pamphilus tam opere q̄ ſer-
mone fidei pugil egregius ad
uerſus arrianum dogma plurima conſcripſit:
Extant etiam ipſius ſapientie preclare duo vo-
lumina de anima. Itē tractatus aduerſus ori-
genem: Item epiſtole multe quas enumera-
re difficile eſt. Qui propter fide catholice de-
fenſionem: quam contra arrianorum ſectam ſu-
ſceperat: a conſtantio imperatore traianopo-
lim in exilium miſſus vite terminum dedit.

¶ De ſanctis quattuor milibus nongen-
tis ſeptuaginta ſex martyribus. Cap. liiij.

QUattuor
milia nongenti
ſeptuaginta ſex
martyres apud
aphricam paſſi
ſunt ſub perſecutione vanda-
lica. Qui cū eſſent eccleſiarū
dei plurimarū epiſcopi preſ-
byteri ⁊ diacones aſſociatis
ipſis turbis fidelium popu-
lorum iuſſu hunerici arriani regis in horribile
exilium heremi truſi: atq̄ inter mauros fero-
ciſſimos deputati ſunt. Inter quos erant cy-
prianus ⁊ felix precipui ſacerdotes. Ex quib⁹
plurimi dum ducerentur: ⁊ cuſpidibus ac lapi-
dibus ſibi alligatis ad currendum dum tunde-
rentur: et per aſpera ⁊ dura loca traherentur:
per ſingula mēbra diſperti inter manus trahē-
tiū expirabāt. Extat per totū aggerē publicus
locus tumuli vel ſepulture ipſorū. Reliqui ẜo
predictorū ad exiliū predictū adducti: fame et
inedia ac nuditate afflicti: necnon varijs ſuppli-
cijs excruciati martyriū celebrarunt: quorum
natale colitur. iiij. idus octobris.

¶ De ſancto marcello epō ⁊ martyre. Cap. lv.